Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Legenda Aurea - Cod. Aug. perg. 256

Jacobus <de Voragine>

[S.l.], [14. Jahrh.]

De sancto Vito

urn:nbn:de:bsz:31-66161

Visual Library

respondit barnabas: fiat voluntas domini.
Nunc autem cyprum vado et ibidem vitam finiens
te amplius non videbo. Et cum flens
se ei pedibus humiliter volutaret, compatiens
ei paulus dixit: Noli flere, quia sic domini est volun-
tas. Nam et michi dominus in hac nocte apparuit dicens:
Ne prohibeas barnabam ire cyprum, quia mul-
tos ibidem illuminabit et martirium consummabit.
Pergens barnabas igitur cyprum cum iohanne evan-
gelium mathei secum detulit, et super infirmos po-
nens multos dei virtute sanavit. Cum autem
de cypro exissent, invenerunt elymam
magum, quem paulus lumine oculorum priva-
vit ad tempus, qui eos resistit et pau-
lum intrare prohibuit. Die igitur quadam
vidit barnabas homines et mulieres nu-
dos currentes et sua festa agentes. Vn-
de indignatus templo maledixit et subito pars
eius corruens multos oppressit. Tandem sa-
laminam devenit, et ibidem contra eum predictus
magus sedicionem non modicam excitavit. Com-
prehendentes igitur iudei barnabam multas
afflictiones iniuriis inferebant et iudici civita-
tis puniendum tradere festinabant.
Comperto autem quod eusebius vir magnus et
potens de genere neronis illuc adveni-
ret, timuerunt iudei ne ipsum de manibus
eorum eriperet et sic liberum abire permitteret;
ligantes igitur funem ad collum eius eum extra
portam traxerunt et ibidem eum protinus com-
busserunt. Denique nec sic iudei impii saciati,
ossa eius in quodam vase plumbeo recluse-
runt, in mare eadem proicere volentes. Iohannes
autem discipulus eius cum duobus aliis de nocte
consurgens ea rapuit et in quadam cripta se-
crete sepelivit. Que ibidem ut ait sigbertus
usque ad tempora zenonis imperatoris et ge-
lasii pape usque ad annum domini d. latuerunt,
et tunc ipso revelante reperta sunt. Beatus
autem theodorus sic ait: Barnabas in
roma christum primum predicavit, episcopus medio-
lanensium fuit. De sancto vito.

Vitus autem. Distinguit autem augustinus
in libro de civitate dei triplex ge-
nus vite, scilicet actiolum quod pertinet ad vitam
activam, ociosum quod pertinet ad ocium spiritualem
vite contemplative, tertiumque compositum,
et istud triplex genus vite fuit in eo.
Vel vitus quasi virtus, id est virtuoso situ positus,
quasi status in medio virtutis. Cum libri ii. virtutem
tamquam mediam circumstant duo vicia tamquam extrema.
Sunt extrema prudentie dolositas et fa-
tuitas. Extrema temperantie desideriorum
carnalium adimpletio et omnimoda sui
afflictio. Extrema fortitudinis pusillani-
mitas et temeritas. Extrema iusticie cru-
delitas et remissio. De nomine

Vitus puer egregius et fidelis annorum
xii. in sycilia martirium passus est.
Hic a patre crebro verberatur eo quod ydola
contempnebat nec ipsa adorare volebat.
Quod audiens valerianus preses puerum ac-
cersivit et sacrificare nolentem fustibus cedi
iussit. Brachia autem verberantium et ma-
nus presidis protinus aruerunt. Clamavitque
preses: Ve michi quia manum amisi. Cui
vitus: Accedant dii tui et te sanent
si possunt. Cui ille: Numquid tu fa-
cere vales? Cui vitus: In nomine domini mei va-
leo. Statimque pro eo oravit et sanitatem
obtinuit. Dixitque preses patri: Corripe
puerum tuum ne male pereat. Tunc eum
in domum ducens diversis mulierum ge-
neribus et puellarum lusibus ~~alias~~
aliarumque deliciarum generibus immutare
animum pueri satagebat. Cum autem eum
in thalamum inclusisset, mirabilis odo-
ris fragrantia inde exiit, que patrem et
totam familiam nimio odore perfudit

aspiciens per fenestram per hostium vidit VII angelos circa infantem stantes. Dixitque: Dii venerunt in domum meam, statimque cecatus est. Ad cuius clamorem tota civitas Lucana commota est, ita ut Valerius accurreret et quid sibi accideret inquireret. Cui ille: Deos vidi igneos et vultum eorum ferre non potui. Ad templum igitur Iovis ducitur et taurum cum cornibus aureis pollicetur pro recuperatione luminis. Sed cum nichil proficeret, filium ut pro sua sanatione rogavit, et lumen suis precibus recuperavit. Cum autem nec sic crederet, sed potius filium occidere cogitaret, angelus domini Modesto pedagogo eius apparuit et ut navem conscendens puerum ad aliam terram deduceret imperavit. Quod cum fecisset, aquila eis cibum offerebat et multa ibidem miracula faciebat. Interea filius Dyocletiani imperatoris a demone arripitur et nisi Vitus Lucanus veniat se nunquam exire fatetur. Vitus queritur et inventus ad imperatorem deducitur. Cui Dyocletianus: Puer, potes filium meum sanare? Cui ille: Non ego sed dominus. Statimque super eum manum imposuit et protinus ab eo demon aufugit. Et ait Dyocletianus: Puer, consule tibi et diis sacrifica ne mala morte intereas. Quod cum ille recusaret et in carcerem cum Modesto inclusus fuisset, ferri moles que eis erant imposita cecidit et carcer immenso lumine choruscavit. Quod cum imperatori nuntiatum fuisset, eductus in clibanum ardentem mittitur, sed statim illesus egreditur. Tunc leo ad eum terribilis ad devorandum dimittitur, sed cum ab eo fidei virtute placatur. Tandem ipse cum Modesto et Crescentia nutrice sua que semper eum secuta

fuerat in eculeum suspendi iubentur. Sed subito aer turbatur, terra quatitur, tonitrua mugiunt, ydolorum templa corruunt et multos occiderunt. Imperator autem territus fugiens pugnis se percutiebat dicens: Ve mihi quia ab uno puero victus sum. Illi autem ab angelo continuo soluti iuxta quoddam flumen se invenerunt et ibidem pausantes et orantes domino animas reddiderunt. Quorum corpora ab aquilis custodita Florentia illustris matrona, sancto Vito revelante, reperit et ea accipiens honorifice sepelivit. Passi sunt autem circa annos domini CCLXXXVII.

De ethimologia

Quiricus quasi querens arcum vel a chisil quod est fortitudo et cus niger, vel a quiris quod est hasta, vel a quiles quod est sedile. Ipse enim fuit arcus, id est curvus in sui humiliatione, fortis in tormentorum perpessione, niger in sui despectione, hasta in inimici debellatione, dei sedile ex dei habitatione. Hec nomina gratia supplevit que etas negavit. Iulitta quasi iuvans vita, quia vita spirituali vixit et per hanc multis profuit.

De sancto quirico

Quiricus fuit filius Iulitte illustrissime matrone Yconie. Que persecutionem declinare volens cum filio suo Quirico qui erat trium annorum in Tharsum Cilicie venit. Sed cum Alexandro preside presentatur in ulnis suis puerum gestans, quod due famule sue videntes fugerunt et eam prorsus reliquerunt. Preses igitur puerum in ulnis suis accepit et matrem sacrificare nolentem nervis crudis flagellari cepit. Puer autem matrem flagellari conspiciens amare flebat et lamentabiles voces dabat. Ac puerum quidem preses inter ulnas et super genua ponens et osculans et aliis blanditiis demulcebat. Infans autem ad matrem